SILICIS TOPAZII SIBIRICI
EXAMEN CHEMICUM.

Auctore

T. LOWITZ.

Conventui exhib. die 10 Jan. 1799.

§. 1.

Topaziorum Sibiricorum descriptionem ingeniosam, egregiis delineationibus dilucidatam, Cel. Collega, Dom. Consil. aulicus Herrmann, cum III. Academia anno praeterito communicavit, idemque nonnulla hujus fossilis specimina purissima, ut chemicis artificiis partes eorum constituentes explorarem, benevole mihi tradidit.

Externam formam quod attinet, Topazius Sibiricus valde quidem differt ab illo, qui in Saxonia ad Schneckenstein reperitur; utramque vero hanc Topaziorum varietatem igni et tubo ferruminatorio subjectam ratione plane consimili sese gerere et pulcherrime inter se convenire, e sequentibus patebit.

§. 2.

Habitus via sicca.

a.) Fossilis hujus frustulum sine ulla additione tubo ferruminatorio expositum, ineunte incalescentia, cum strepitu in tenerrimas dissiluit lamellulas, quae calore, ad vehementissimam usque incalescentiam, aucto, lacteam quidem opacitatem, neque